Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2241
Quelle:
Copyright:

quae eis e *Lambecii* L. II. p. 802. innotuerat. At en Partes duas, quas *Leonardus* ipse in *Indice Parti* II. subjecto ita distinguit, ut a Thecae colore *Partem I. libellum nigrum*, II. vero *libellum rubeum* adpellarit. Varia in utroque spuria et frivola esse, vix est, quod moneam. *Leonardum de Vienna* et *de Valle Brixinensi* eundem esse, jam ad *Cod.* CCCXLIII. monui.

DLXXXVIII.

188 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 119. f. varia a variis descripta continens Opuscula pertinuit olim ad hujatem Conventum FF. Praedicatorum; Ita enim ad marginem infernum *fol.* 3. legitur: *Iste liber est conuentus Wien. in Austria ordinis predicatorum A. domini 1462. ligatus et de cella fratris Leonardi deputatus ad catenacionem.* Primum, quod occurrit, est: *Inquisicio Qualia danda sint consilia in tempore hoc. anno videlicet 1462 super placando diuinam maiestatem, quatenus vniuersitas fidelium tocius domus Austrie liberetur a calamitatibus* &c. Constat *Epistolis* III. inscriptis: *Sacri Juris canonici ac arcium liberalium professori perspicacissimo Reuerendo in christo Patri. domino Johanni de Oetting seu Oeding Alme ecclesie Jaurien. preposito, nec non et reuerendissimi domini ordinarij nostri Patauien. in spiritualibus iurisdicionibus vicario seu officiali per austriam*, Autore supra dicto *Fratre Leonardo de N. conuentus wien. ordinis predicatorum*, ut ex initio *Epistolae* II. liquet. Prima *Capitibus* XIV. definitur, urgetque vitae et morum emendationem in populo, majoremque Cleri in sacris muneribus vigilantiam et fervorem. Data est *Anno domini 1462. In die circumcisionis.* Reliquae duae breves sunt, idemque tractant argumentum. *Calamitates* in Titulo memoratae turbas eo tempore inter *Fridericum* Imp. fratrem ejus *Albertum*, et *Austriae* Proceres motas notant, de quibus Historici domestici passim, in quibus *Marcus Hansizius Germ. Sacrae* T. I. p. 572. et Opusculi nostri meminit. De Autore *Leonardo de Valle Brixiensi* plura ad *Codd.* praeced. duos, et CCCXLIII.

II. *fol.* 3. sequitur *Dialogus* inter *Catholicum* et Haereticum *Patarenum*, qui absque Titulo incipit: *Vergente ad occidium mundo et instantibus periculosis temporibus* &c. et finit: *Stulti, solus christus est hostium per quod intratur ad regnum celorum, ad quod* &c. Editus est ab *Edm. Martenio* T. V. *Thes. novi Anecd. col.* 1703. sed nobis subjecta est anathematis formula hoc initio: *Excommunicamus et anathematizamus vniuersos hereticos Catharos Patarenos Pauperes de Lugduno* &c. quam illius Codices non exhibebant, quaeque sumta est ex V. *Decret. tit. 7. c. 15.*

III.